

Lib. B.

1) Lebenserwerbung
(Titel ausgestrichen!)

nicht 21 - 17)

17

DISSECTIO PHILosophica
DE
PROVERBIO

DOCENDO DISCIMVS

QVAM
PRAESIDE

IAC. VVILH. FEVERLINO
PHILOS. PRIM. ET RATION. PROF. PVBL.

IN ORDINE CIRCULARI

D. VII MAII A. CLOCCXVIII

DEFENDET

SAMVEL BVRCKARDVS

BREGA-SILESIUS

PHILOS. ET THEOL. STVD.

ALTORFII

LITTERIS IOD. GVIL. KOHLESII ACAD. TYPOGR.

SACRAE CAESAREAE MAIESTATIS
C O N S I L I A R I O
EXCELLENTISSIMO
REGII GYMNASII BREGENSIS
D I R E C T O R I
IMMORTALIBVS MERITIS CELE-
BERRIMO
D O M I N O
GODOFREDO THILONI
P R A E C E P T O R I E V E R G E T A E
A C P A T R O N O S V O
O M N I S V B M I S S I O N I S C V L T V A E T E R N V M P R O S E-
Q V E N D O C O L E N D O A C D E V E N E R A N D O
S P E C I M E N H O C A C A D E M I C V M
C E V G R A T I A N I M I T E S S E R A M
H V M I L L I M E D I C A R E V O L V I E

R E S P O N D E N S

¶ (3) ¶

S. I.

DRoverbia, sive figurato sermone utantur, sive sola simplicitate & ponderosa brevitate se commendent, thesaurus Sapientiae Veteris merito putantur: Cavendum tamen est, ne cœco ductu eadem sequentes in errores abripiamur atque Præjudicii, quod vocant Antiquitatis jure accusemur: Non enim semper vera verba sunt Proverbia, sed falsum etiam quandoque continent, id quod Præde Summe Rever. IOH. SCHMIDIO Joh. Aug. Olearius in Decadibus duabus Proverbiorum Falsilverborum Lipsiæ. a. 1692. disputatis luculenter demonstravit. Sollicitam igitur desiderant meditationem, quæ partim verum Veterum sensum suppeditabit, partim aliis Veritatibus vel inveniendis vel confirmandis occasionem dabit, simulque justam eorum applicationem a mala detorsione secernere docebit. Tali ratione notissimum illud Proverbium, Docendo discimus, hac vice considerabimus, quam male id ipsum nonnunquam capiatur, quam bene autem in incrementum solidæ eruditiois verti possit, ostensuri.

S. II.

In originem atque Autorem hujus æque ac plerarumque sententiarum Proverbialium aliarum frustra inquiremus, quosdam tamen scriptorum veterum, qui mentionem ejusdem faciunt nominabo.

CHALDAICA PARAPHRASIS verba Prov. XI, 25. : **תְּבוֹרָה נִסְתַּחֲרָה יְהוָה יְהֹוָה** quæ versio Tremelliana bene reddidit:

& qui ubertim communicat idem amplius profundet i. e. habebit abundantiam, ut in posterum etiam liberaliter profundere possit, hisce commutat: **תְּבוֹרָה נִסְתַּחֲרָה יְהוָה יְהֹוָה** Qui docet etiam ipse docet; Idem vult expositio Hebræorum a Polo in Synopsi Criticor. & Comment. ad h. l. citatorum: Et qui docet, ipse quoque docebit, subintellige se ipsum: Quæ sane expositio integrum

regro Contextui, atque tam antecedentibus quam consequenti-
 bus (ubi de amore aliis hominibus exhibendo, atque præmiis di-
 vinæ gratiæ, quæ eundem manent, differitur,) non repugnat,
 modo verbis Hebraicis exactius responderet. SENECA Epist. VII.
 cum Lucilio suo conversationem promiscuam cum turba diffusas-
 set, Rocede, inquit, in te ipsum, quantum potes, cum his versare,
 qui te meliorem facturi sunt: illos admitte, quos tu potes facere
 meliores. Mutuo ista sunt, & homines dum docent, discunt.
 CLEMENS ALEXANDRINVS lib. I. Stromatum in prolixi quasi
 Præfamine, quo docendi necessitatem, utilitatem & modum de-
 scribit. p. m. 275. Ποτεὶ qui exhauiuntur, emittunt aquam magis
 perspicuum; corrumpuntur autem ii, quorum nullus est particeps.
 Ferrum quoq[ue] usus servat purius, usus autem defectus ei generat
 rubiginem. Ut semel enim dicam exercitatio salubrem habitum
 ingenerat & spiritibus & corporibus. Nemo ascendit lucernam &
 ponit eam sub modo, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui
 accepti fuerunt convivio. Matth. V. Quid enim juvat sapientia,
 qua non sapientem efficit eum, qui potest audire? Διδόντων ἡς μα-
 θητικές. καὶ λέγων συναρχοῦται πολλάκις λοις ἐπανέσθουν αὐτοί.
 Docens aliquis plus dicit, & dicens saepe una audit (auditorem
 agit, dicit) cum iis, qui ipsum audiunt. AVGVSTINVS Epist.
 VII. quæ in editione Monachorum Benedictin. e Congreg. S. Mauri
 est CXLIII. Ego proinde fateor, me ex eorum numero esse co-
 nari, qui proficiendo scribunt, & scribendo proficiunt. Unde
 si aliquid vel incertius, vel indoctius a me positum est, quod non
 solum ab aliis, qui videre id possunt, merito reprehendatur, ve-
 rum etiam a me ipso; quia & ego saltē postea videre debeo, si
 proficio; nec mirandum est nec dolendum, sed potius ignoscen-
 dum atque gratulandum, non quia erratum est, sed quia impro-
 batum. Nam, nimis perverse se ipsum amat, qui & alios vult
 errare, ut error suis lateat. Ipsa hæc sui Augustini verba respe-
 xisse videtur LVTHERVS in Prefat. Tom. I. Altenb. similem er-
 rorum veniam petens, confitensque se ex eorum esse numero, qui
 ut

¶(5)¶

ut Augustinus de se ipso refert, scribendo aliosque docendo profecerunt, non ex iis, qui ex nihilo summi eruditissimique Doctores repente facti sunt. Ejusdem argumenti sunt versus illi Leonini, quos MICH. NEANDER inter Versus proverbiales Leoninos Ethicae Veteri et Sapienti veterum Latinorum annexos retulit:

*Discere si queris, doceas, sic ipse doceris,
Et studio tali tibi proderis atque Sodali.*

itemque notissimi illi versiculi, quos ANDR. GARTNERVS Proverbialibus dictieris inferuit:

*Multa rogare, rogata tenere, retenta docere,
Hac tria discipulum faciunt superare Magistrum.*

S. III.

Diversos autem nostrum, Docendo discimus, nanciscitur sensus, prout docendi et discendi vocabula nunc hos nunc illos significatus obtinent. Singulos ordine recensabo, deque iisdem meam sententiam exponam. Docere sensu atque modo levissimo dicuntur ii, qui doctrinas antea sibi incognitas e libro, quem ne quidem soli & cum debita meditatione perlustrarunt, propriissime legentes atque prælegentes, easdem juventuti suæ sibique ipsis simul primum notas reddunt. Hujus generis Præceptores vix aliud agunt, quam quod viva voce puerorum atque adolescentium attentionem, quæ lectione languescere solet, provocant, quæ pueris obscura sunt atque difficultia ad captum discentium suorum explicant, atque frequentioribus quæstionibus & repetitionibus memoriarum eorundem imprimit. Dari ejusmodi docentes præsertim inter eos, qui juventutem præter Latini sermonis fundamenta prægustu, ut ajunt, disciplinarum realium imbuere debent, experientia docet. Verum discere ipsorum periculosis est & plerumque exigui momenti. Nihil enim aliud obtinere solent, quam eorum quæ legerunt & docuisse sibi videntur, cognitionem historiam, atque memoriam, quamvis quoad hanc discipuli magis vegeti magistrum facile superare possint. Periculosa autem est hæc docendi & discendi ratio, siquidem imparati falsas æque ac veras, in-

A 3 utiles

utiles imo noxias aequa ac utiles doctrinas, prout nimisrum boni vel mali iisdem obtigerint libri, imbibere simulque aliis tradere possunt. Tollit tamen vel minui hoc periculum potest, si prudens atque scientia peritus libros quosque optimos commendet, si iudicium Praeceptoris accedit, quod legendo occasionem arripiatur, postea de doctrinarum veritate, selectu, modo proponendi altius meditandi: ita fiet, ut non tam docendo, quam post docendum discat, quo in posterum docere possit. Ad eandem docendo discentium classem merito referuntur, qui altiora docere affectantes, cum tamen solida disciplina atque fundamentorum ejusdem cognitione sint destituti, quae ex obviis quibuscunque libris sine selectu & ordine corraserunt, vel scriptis vel viva voce propagare non erubescunt, docendo discere cupientes. His merito opponimus aliud proverbium: *Doceat qui didicit*, in Collectione Adagiorum Wocheliana p. 747. cum hac explicatione reperiendum: *Docere facilis ei, qui didicit, iuxta illud: Discit sed a doctis.* Nemo facilis artem tradit alteri, quam qui eam exacte calleat. Novit enim multa in compendium contrahere, novit obscuris dare lucem. Proinde quodam quidam tot ambagibus circumagunt ac detinent adolescentes in disciplinis, in causa est aut quæstus, aut livor, aut imperitia. Hos ipsos etiam reprehendit Socrates in PLATONIS Alcibiade I. Μάνικον γαρ εὐ νῷ ἔχεις ἐν κηδεμώ, ἐν κηδεμώ δέλτιστον αὐτὸν οἴσθαι, διελθόντας παρθένους. Furiosum quiddam aggredi, o vir optime, statuisti docturus illa que nescis, discere eadem negligens. conf. celeberr. CHRISTIANI THOMASI Ausübung der Vernunft: Lehr cap. II. §. 16. sqq.

S. IV.

Docere etiam intelligitur de repetitione auditorum, quæ sane, si Praeceptore gaudemus solide eruditio, fideli, perspicuo atque prudente, fructu insigni carere nequit. Discimus exinde, an dicerimus: Ita EHRNFR. WALTH. de TSCHIRNHAVSEN in Medicina Mantis P. II. Sect. I. p. m. 45. *Si verum est, me aliquid concipere, potero sine dubio efficere, ut eundem conceptum, qui mihi*

inhi est , aliis etiam eandem necum concipiendi potentiam
habentibus notum facere possum . Deinde memoriam repetitione
exercemus , eidemque audita lectaque melius imprimimus , id
quod peculiari sensu discere quandoque dicitur . Præterea inge-
niūm hac ratione excolimus , donum proponendi comparamus ,
atque uno verbo docere discimus , saltem iſcipimus . Adhæc ,
quæ non nobis solis auditus , sed aliis iterum jam nūc communi-
canda esse scimus , majore attentione percipimus , ita ut non
tam docendo , quam antequam docemus audiendo , sed docendi
gratia eo melius discamus . Nihil jam de eo dicam , quod doctri-
nae duabus pluribusve vicibus attente consideratæ non possint non
propriis meditationibus novisque Veritatibus invenientiis exop-
tatiſſimam ansam ſuppeditare . Hanc docendi rationem , quam-
vis tenuis adhuc fit atque docendi nomen vix mereatur , inerito
tamen cœuſcendi viam commendat MORHOFIVS Polyhist . li-
terar . lib . II . Cap . VIII . § . 29 . e IOH . FORTII RINGELBERGII
libro de ratione ſtudiorum ſuadens , ut non adulti tantum , ſed pu-
eri etiam , ea , que didicere , ſtatiuſ docant alios . Novit enim ,
qui in numeroſa prole rem optimo cum ſuccetuſ ita iſtituerunt ,
ut natuſ majores minores ſempre docerent ; qua mutua emulatio-
ne excitati fratres feliciter in ſtudiis progreſſe ſunt . Exemplum
ſuggerit ERYTHRAEV Pinacotheca III . n . LXIV . Martham
Marchinam Virginem Neapolitanam in Philologicis Philosophia &
Theologia eruditam . Fratres ipſius ibant quotidie , diſciplina
cauſa , in Gymnasiuſ Soc . Iefu , a quo redeuntes tum mane tum
veſperi cogebat eos repetere , que a magiſtriſ didiſſent ; qua no-
ceſſitate compulſe , attentiuſ , que tradebantur , accipiebant , ac di-
ligentiuſ memoria cuſtodiabant , ea vero , quo erat ingenii acumi-
ne , ex hac illoruſ repetitione , muſto plus intelligebat , quam
quantum monſtraretur ; adeo ut magiſtriſ ipſos eadem illa poſſe
docere videretur .

§ . V .

Non raro Proverbium noſtrum : Docendo diſcimus , de ſtata
atque

atque officio docendi accipitur, in quo constitutos didicisse quidem oportet, non demum discere fundamenta præcipuasque scientiarum suarum veritates; factum tamen nonnunquam est, ut dōcendi munus consecuti discendi initium facere debuerint, vel in præcipuis fori sui scientiis, vel in iis, quibus vix ac ne vix quidem carere possunt. Quæ quidem res, si haud mediocres adsint ingeni vires, atque loco pristinæ ignaviæ summa accedat diligentia, quam etiam officii ratio extorquet, accidente maturo judicii usu quandoque non omnino infeliciter cessit. De SVENONE Aarhusensi in Norwagia Sacerdote, qui A. C. CIOLXXI. floruit e Crameri Chron. Pomer. Pontani Rebus Dan. & Saxonis Gramm. Hist. Dan. SEB. KORTHOLT Diff. de Studio Senili Kilon. A. 1701. habita p. 25. refert, ab omnium bonarum artium disciplina nudum atque inopem fuisse, ita ut solennem precatiōnis latīnæ formulam, Deus Regem famulum tuum protege, a malevolis una syllaba erasa immutatam e summa ignorantia ita prælegerit: mulum tuum protege; ab illo autem tempore Regis ipsius admonitu & sumtibus literarum ludos petiisse, nec incitatum leviter, sed inflammatum quadam discendi cupiditate brevi spatio talem se præbuisse, ut non solum invidos suos, sed omnes Norvagiæ eruditos longe post se reliquerit intervallo, doctrina & meritis summam gratiam iniverit, atque omnium consensu ascenderit in sedem honoris ac dignitatis Episcopalis. Plerumque tamen temeritas hæc non potest non infelicem nancisci successum, quamvis enim ingenium tale sit felicissimum atque quibuscumque artibus & scientiis addiscendis aptissimum, incertum tamen est, an tempus aliaeque circumstantiæ, quæ occasionem constituent, concessura sint, ut potentia istæ remotior in actum dederatur, multæque occurrere possunt officii obediendi partes, quæ sola ad eruditionem dispositiōne contenti non sunt, sed solidam prælentemque eruditionem requirunt. Accedit quod nimia festinatio, qua eo in casu scientias non perlustrare sed percurrere oportet, solidam cognitionem nimirum quantum impedit. Paucis, cum futura non sint in nostra

pote-

potestate, injustum atque imprudens est, docendi munus in se recipere, cui tamen ferendo humeri de praesenti longe impares sunt.

VI.

Accurate autem loquendo docere est Veritates sibi cognitas aliis communicare, adeoque in docente primo loco requirit, imo præsupponit solidam artis & scientiæ, quam profiteri cupit, cognitionem ; Discere est in Veritatum antea incognitarum notitiam venire ; atque hinc contradictionem involvit docendo discere, si quidem de iisdem Veritatibus sermo sit, atque eas ipsas, quos docere cupis, simul discere velis. Neque etiam sensum hunc Proverbio nostro ejusdemque autoribus facile quis assignabit : nimis enim planus est statimque obvius, contra Proverbiorum consuetudinem, quæ plura in recessu habere solent. Interim non desunt, qui contradictionum hunc sensum amplectentes, vel rerum omnium ighari, vel qualicunque sed superficiaria cognitione instruti ad docendum accedunt, magnam inde sibi suisque auditoribus utilitatem vano conatu promittentes. Prioribus annumerandi sunt Fanatici, qui effrenis imaginationis ideas variis modis combinatas ceu divina oracula sibi aliisque firmissimo assensu recipienda coeque obsequio observanda proponunt, quorum ineptias Philosophi, *ναυαγίας* vero, qua Viros *Ἑρωτεύεται* imitari ambitione student, Theologi agnoscunt atque declarant. Possent ad hoc docendo dissentium genus quodammodo referri, qui in somno linguis ante sibi ignotis locuti, carmina Orationesque egregias recitarunt (inter quos eminere videntur exempla FEBVRII Regis Galliæ Pharmacopœi & Chymici, qui inter somniandum linguis peregrinis locutus, ac aliis in omnifaria, qua interrogatus, lingua responsa dedit, de quo CHR. THOMASIVS in der Historie der Weisheit und Thohheit P. II. ZANARDI, qui in somno currente discursu carmina pulcherrima Latina & vulgaria formavit, concionesque ordinatas pulchriora in somno confecit quam in vigilia, &, quæ in vigilia multo cum labore non penetravit, in somno in promptu habuit, quod de se ipso refert in Tr. de Universo Parvo, atque

B

Ephe-

Ephemerides Nat. Curios. anno III. Obs. 61. Decur. III. recentent) itemque qui a dæmone obsecsti captum suum longe superantia docuerunt: verum hi non tam loquentes & docentes, quam potius organa Dæmonum putari debent: de illis vero hoc loco differere partim chartarum his Thesibus destinatarum angustia, partim μελδβασις quæ suscipienda esset εἰς ἄλλο γέροντος, Physicum nimirum, partim denique status ipsorum extraordinarius prohibit vid. interim D. I. C. WESTPHALI Pathologia Dæmoniaca & excerpta ejusdem in Nov. Lit. Germ. a. 1705. in primis p. 205. lqq. Multo potius de iis dicendum est, qui, cum nonnisi superficiaria & imperfecta notitia instruti sint, quæ memoriae, nonnunquam chartæ unice inhæret, Præjudicio autoritatis innititur atque certitudine, in plerisque etiam Veritate destitutus, docere tamen alios conantur, h. e. veritates aliis proponere, quibus vel ipsi carrent vel si nonnullas possident, de iisdem tamen certo persuasi esse nequeunt. Graviter hoc vitium reprehendit THOMASIUS in der Ausübung der Vernunft-Lehr Cap. II. §. 20. 21. 22. docens tantum abesse, ut intempestivi ejusmodi docentes hac sua temeritate proficiant, ut potius Præjudicia sua perpetua præcipiantia confirment, Intellectum suum confundant, seque ipsis inepitos reddant, quo minus ad agnitionem Veritatis unquam perveniant. Ne quid dicam de damnis in discentes inde promanantibus, de quibus MORHOFIVS Polyh. liter. II. Cap. XI. §. 25. lqq. & que ibidem laudatur VOGLERİ Diss. de studiorum hodiernis corruptelis evolvi possunt.

VII.

Peculiaris Proverbii nostri explicatio atque applicatio est, quam E FORTIO MORHOFIVS proponit Polyh. lit. lib. II. Cap. VIII. §. 28. innuens, docenti imparato, sed præcipuis fundamentis scientiae & artis suæ non desituto, inter docendum optimas saepe recurrere observationes easque innotescere veritates, quæ alias eundem latuissent; unde Fortius nunquam docendi munus etiam ab imparato omittendum svalet. Cui monito calculum suum.

suum addit Morhofius: *Sæpe mibi, ut hoc meo firmem exemplo, cum ad docendum maxime imparatus accessi, in extemporali prælectione necessitas ipsa extudit, quæ longa meditatione non incidunt.* Quem effectum summæ attentioni, quam auditor excitat, quæque omnem cogitationum dispersionem excludit, adscribendum judico. Nec raro eundem deprehendere poterimus in ea docendi ratione, quæ scriptis sese exerit: Concitata enim & quasi concentrata, atque ad unum aliquod objectum directæ memoriae, ingenii & judicii vires, tunc, quando scribendi initium jam factum est, ea sæpe suggerunt, quæ antea autor scripti nunquam sperasset vel prævidisset, unde opella sub manibus crescere dici solet. Neque vitio verti debet Scriptori extemporalibus hisce cogitationibus indulgere, cum ante publicationem scriptum suum legere atque releggere, easdemque solcitate examinare possit: Verum viva voce docentes, præcipue argumenta majoris momenti, extemporalibus ingenii sui suggestionibus vix tuto confidere videntur, ob judicij præcipitantiam, quæ metuenda hoc in casu est, atque accidente Philavtia inordinata & Præjudicio electæ semel hypotheseos gravissimos inducere potest errores. Id tamen negari nequit, subitanæas ejusmodi cogitationes inter docendum subortas, post vero finita lectione accurate examinatas, præstantissimas suggerere posse Veritates, atque in tantum etiam Docentes docendo nonnunquam discere.

VIII.

Nova eaque omnium fere aptissima emergit nostri Proverbii interpretatio, si docendi vocabulo non ipsum docendi actum sed præparationem ad eundem ab erudito suscepitam intelligamus. Quo sèpius enim justa meditatione, diligenti lectione, sollicitoque examine sententiarum hucusque a nobis receptarum ad docendum nos accingimus, eo melius in agnita Veritate confirmabimur, si cubi errores quosdam amplexi suimus eorundem loco veritates novas recipiemus, aliasque hucusque nobis ignotas vel e propria meditatione, confectionariorum instar, vel e lectione obtinebimus. Ita

commode nostra facere possumus FORTII verba a Morhofio l. c.
 excerpta : *Vbi decies rem eandem docueris, plus te senties pro-
 ficiisse, quam si fugiens lucem magno te domi labore confecisses.*
*Quæ alios docui, et tam miki perspecta sunt, quam corporis mem-
 bra ipsa.* Ea non aliter quam solis splendorem ante oculos here-
 re sentio. Horum cognitionem firmam esse, certam esse, frugem-
 que proferre amplissimam experimento comperi. Hac explicati-
 one excitari atque moneri debent, qui cum solide sint eruditæ, ex
 nimia tamen erga se dissidentia docere non audent. Soliditas quidem
 eruditionis & præcipuarum scientiarum alicujus doctrinarum notitia in
 docente prærequiritur, sed amplitudo cognitionis docendo & præ-
 parando ad docendum omnium optime obtinetur. Huc pertinet
 THOMASII. §. 19. Cap. II. Prax. Log : Wenn wir gesagt /
 daß man zuvor aufräumen / und selbst die Wahrheit erkennen
 solle / ehe man andern dieselbe beyzubringen sich unterfange /
 verstehen wir nur so viel / daß ein Mensch die Grund-Wahr-
 heiten derer Dinge / die er lehren will / verstehe / und die pre-
 judicia autoritatis und præcipitancie ernstlich zu bestreiten ange-
 fangen habe / nicht aber / daß er alles / was ein Mensch wissen
 kan / vollkommen verstehen müste. Denn er wird die Zeit sei-
 nes Lebens noch etwas zu lernen finden. Non immerito igitur
 illis, qui ad ampliorum tendunt eruditionem, e Morhofio l. c. §.
 27. sequens commendamus FORTII consilium : *Simil atque in*
*litterarum judicio promoveris nonnihil, enitere ut (per totum di-
 em, si fieri possit) doceas ; ea doce, que noveris, si non omnia
 nosti. Sedulo curandum ut vel prece vel precio habeas unum, cui
 ex, que velis, possis recitare. Si pro horis singulis exiguum pe-
 cuniam dederis auditori, atque hoc modo quatuor aut quinque au-
 reos expenderis, tantum compieres te proficiisse, tum in literis,
 tum in forma docendi, ut vel palam ea audeas prosteri. Imo
 utilitatem & necessitatem hujus Regulæ Augustinus & Lutherus
 locis supra §. II. prolatis edocere possunt, veniam errorum suo-
 rum e Proverbio nostro petentes atque innuentes, fieri vix posse,*
 ut,

ut, antequam docuerimus, solicitisque ad docendum præparatio-
nibus dogmata nostra exploraverimus, doctrinæ nostræ satis certæ
sint, claræ atque ab erroribus purgataæ.

§. IX.

Denique, quia docendi nomine disputatio etiam intelligi,
eaque inter docendi modos referri potest, hinc denuo aliqua non
incongrua Proverbii nostri explicatio desumi potest. Disputando
enim discimus, etiam si falsa proponamus: sive enim Opponens
serio sive exercitii tantum gratia errorem quendam propugnet,
quo majorem Veritatis speciem eidem conciliabit, eo solidius pe-
ritus Respondens vel Præses objectiones resolvent, eoque certius
Veritas & OppONENTI & Auditoribus aliis innotescet. Deinde
dum & Respondens & Opponens, quæ quisque vel experientia
propria vel lectione vel meditatione didicit, prò re nata in me-
dium proferunt, sibi invicem varia ante incognita addiscendi an-
sam mutuo præbent, & quod maximum est, varias novas obser-
vationes ex tempore inveniendi occasionem suppeditant; quam
utramque non contemnendam utilitatem omnis conversatio eru-
ditorum, præsertim vero Societates litterariæ, qua eruditæ, iisque
bene præmeditati convenient, atque mutuo docent & discunt,
egregie præstant. Præterea disputationes preparationibus justis,
quæ iisdem præmittuntur saltem præmitti debent, profectus di-
sputaturorum insigniter promovent: de quibus aliquisque disputationi
num usibus vid, si placet, Regulæ bene disputandi a. 1715. a me
publicatæ Tab. I.

§. X.

Hucusque diversas Proverbii nostri explications, quas do-
cendi ambiguitas dedit, consideravimus, nunc paucis etiam illos
indicabimus sensus, quos diversæ discendi significations eidem
conciliant, quamvis plerasque non potuerimus non supra paucis
attingere. Discere primum refertur ad solam cognitionem histo-
ricam, primum scientiæ elementum atque initium, quo sensu cum
prima & levissima docendi ratione, quam lectionem sive præle-

Etionem propriissime dictam nominavimus , §. III. conjunximus .
 Deinde discere dicuntur , qui semel cognita memoriae mandare altiusque infigere laborant , quod secundo docendi gradu , repetitioni , optime quadrare ostendimus . Porro discere idem est ac judicio & ratiocinio Veritates antea incognitas amplecti ; idque vel de integris scientiis earumque doctrinis fundamentalibus & principalibus , vel de minus principalibus earundem partibus intelligitur : Illas docendo discere velle , absurdum esse monuimus , quemcunque docendi modum ob oculos nobis ponamus . Nulla enim alia ad eruditionem via patet , quam quæ auditione bonorum doctorum , atque accurato eorum , quæ audivimus examine , lectione & solicita meditatione absolvitur . Inerti quiete ad scopum hunc tendere ferme ridiculum atque in beneficia Dei injurium est , qui vires activas Menti atque Intellectui non frustra concessit . Rectius CICERO lib. II. de Orator . *Nemo, inquit, sapientia laudem sine summo studio & labore & doctrina consequi potest.* Quod si vero de partibus atque doctrinis scientiarum minus principalibus , de majore earundem amplificatione & illustratione , itemque de correctione errorum quorundam , qui a primo eruditioinis initio adhaerent , sermo sit , varijs docendi rationibus hæc omnia disci posse , partim quod attenta cum meditatione docenti particulares nonnullæ exaque præstantissima observationes succurrere possunt , partim quod præparatio ad docendum hisce usibus destinata est , partim denique , quia disputatio eosdem fines consequi docet , lubentes concessimus . Huc inprimis respicit modus , quo CLEMENS ALEX. loco supra cit. nostrum Proverbium exprimit : Διδάσκων τις μαθάπει τοῖς οὖσιν . Docens plus dicit , i. e. scientiam suam amplificat . Tandem discere vel ad ipsas doctrinas atque Veritates vel ad modum easdem proponendi atque auditoribus insinuandi refertur . Hunc ipsum docendo non tantum addisci posse sed etiam debere experientia quotidiana docet : quemadmodum enim omnis habitus alias exercitiis sèpius repetitis comparari debet ; ita docendi etiam facilitas , atque donum veritates suas

suas ad captum discentium perspicue atque decenti ordine comunicandi non sine docendi exercitiis obtineri potest. Verissime igitur hac quoque ratione Proverbium nostrum interpretari possumus :

Docendo docere discimus.

E P I M E T R A

exercitii gratia a Respondente addita.

I.

Eruditio non male collocatur in memoria , secundum illud : Tantum scimus , quantum memoria tenemus.

II.

Eruditio tamen excludit Praejudicia imprimis autoritatis.

III.

Intellectus purus atque abstractiones insigne delictum eruditio ab ineruditio docent.

IV.

Qui veritatem communicare nequit , eruditus etiam censeri non debet , secundum Proverbium : Scire tuum nihil est , nisi te scire hoc sciat alter.

V.

Nihil est in intellectu , quod non prius fuerit in sensu.

Mein

Mein Freund/ ich sage frey/ Du hast in kurzer Zeit
durch deine Emsigkeit Dich da hinauf geschwungen/
wo wahre Weisheit wohnt ; zu deren Kostbarkeit
doch mancher kluge Geist nach langem erst gedrungen:
Diss zeigt diese Schrift. Ein jeder fällt mir bey/
so deren Inbegriff nur mit Bedacht gelesen/
dass hier Gelehrsamkeit und Kunst zu finden sey/
die nach Pedanterie und nach gemeinem Wesen
im grüngsten gar nicht schmeckt. Wollen dann deinen Lohn
wird auch dein Schlesien / vor deines Fleisches Proben/
Dir Wehrtem nicht entziehn. Wer weiss was dir nicht schon
das Glücke und die Zeit daselbst aufgehoben?


Dieses wenige wolte seinem wehrtesten Freunde
wohlmeinend hinzu setzen

G. W. S


Doctrinæ ad metam cursu properare secundo
Qui cupiunt, studeant aliosque subinde docere.
Exemplo nobis proprio cupis hocce probare,
Quaque soles semper, monstras hoc, dexteritate.
Sic aliis poteris, Tibimet, servire DEOque,
Præmia sic capies tandem, quæ digna Magistro.

*Literatissimo DN. RESPONDENTI panca hæc
rudi Minerva exarata gratulabundus apposuit*

Christophorus Carolus Stoer,
Philos. & SS, Theol. Stud. Oppon.



VON



DC

IA



OSOPHICA

BIO

ISCIIMVS

Lh 156

VERLINO

N. PROF. PVBL.

ZLARI

CCCXVIII

KARDVS

VS

STVD.

II ACAD. TYPOGR.